



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Caput III. Variæ considerationes ante Missam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

CAPUT III.

Variæ considerationes ante Missam.

S. I.

Quanta sit Sacerdotum dignitas, & quanta debeat esse sanctitas.

Nulla est inter homines dignitas, nulla excellentia, cui possit Sacerdotalis sublimitas comparari. Omnium Principum fulgorem superat, omnium Regum potestatem excedit; illorum enim auctoritas circa temporalia & terrena versatur; Sacerdotis autem potentia etiam ad aeterna & caelestia extenditur, pro quibus comparandis omnes Principes & Reges ad Sacerdotes configere, opem eorum implorare, & sequi illis subicere non erubescunt. Ideo ab Apostolo dicitur: est Sacerdos ab hominibus assumi, ut offerat dona & sacrificia; aeti super alios elevatus communem hominum conditionem antecellat, quasi mediator Dei & hominum in his que sunt ad Deum constitutus. A Malachia item Propheta Angelis aequiparatur his verbis: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore eius; Angelus enim Domini exercituum est. Imo ex potestate quam habet absolvendi à peccatis, & consuecendi corpus & sanguinem Christi, etiam Angelis superior est; & ut ait Nazianzenus Orat. 1. quasdam illi divinitas inest, aliosque efficit Deos. Hæc te sedulo considerare oportet, quicumque es Christi Sacerdos, ne ad te pertineat Psalmographi sententia dicentis: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Nihil in te terrenum sit, nihil commune cum populo. Sit Angelica conversatio tua, vita Divina, mores illibati. Quid turpius quam honor sublimis, & vita deformis; sancta professio & illicita actio? Vide igitur quam dignè actio respondeat nomini, mores dignitati. Quod si Sacerdotes antiquæ legis iussit Deus Sanctos esse, ut incensum & panes propositionis convenienter offerrent; quanto maiorem sanctitatem inesse tibi oportet, qui Filium Dei quotidie offers & suscipis? Et si solet corpus ciborum quibus nutritur qualitatibus imbui, æquum sanè est, ut Christi in Eucharistia existentis, quo singulis diebus vesceris, conditiones imiteris, & virtu-*

tes perfectè exprimas. Latet Christus sub exiguis speciebus, nec ullo se specioso indicio manifestat; tu quoque Dei dona absconde, & ama nesciri, ac pro nihilo reputari. Ille tibi manet peccatorum, infidelium, ac etiam bestiarum injuriis expositus; tu similiter cunctis subiectus esto, atque in omni contemptu & opprobrio patientiam serva. Ille omnes seipso pascit sine ulla personarum exceptione; & tu etiam omnes liberalis esto, sitque sincerus in te animarum zelus sine ullo humano respectu. Ille divinis speciebus nec læditur nec dividitur; tu etiam peccatorum animum ac omnino imperturbabilem in omni difficultate conserva. Ille nullum derectat locum, & in eo stat, in quo collocatur à quovis Sacerdote quantumvis scelerato; tu pari ratione ad omnia loca & officia indifferens esto, nec ullum onus recules quod tibi à superioribus imponatur. In hoc denique Sacramento substantia panis & vini desinit esse, & sola remanent accidentia; & tu eodem modo in te debes annihilare omnem terrenam substantiam, omnes scilicet affectus inordinatos, gloriæ appetitum, prava desideria, dictamina hujus mundi, & quicquid perfectioni contrarium est.

S. II.

De excellentia hujus Sacrificii.

Cum Sacrificium sit primum Religionis munus, plane decebat, ut Christiana Religio, quæ nulla perfectior & sublimior esse potest, nobilissimum haberet Sacrificium, cujus excellentia ex multis capitibus colligi potest. Primum ex eo, quod in illo offertur, qui est Christus Dominus, verus Deus & verus homo; & quia nihil excelsius illo est, ideo ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones excedit, etiam actus Sanctorum in Cælis Deum amantiū. Cavendum ergo, ne nostrâ irreverentiâ & indevotione tam magnæ rei oblationem dehonestemus. Et si Deus olim Sacerdotibus præcepit, *Mundamini qui fertis vasa Domini*, quanto majori puritate nos enitere debemus, qui purissimum Christi Corpus, & pretiosissimum Sanguinem Deo offerimus? Secundo ex persona cui offertur, qui est solus Deus. Nulli enim Sanctorum, nec ipsi B. Virgini offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura convenit soli Deo, quia per Sacrificium testificamur Deum esse primum principium & ultimum finem nostrum & supremum Dominum omnium rerum, cui in

signum

signum nostræ subjectionis aliquod sensibile offerimus, ad significandum per rem sensibilem oblatam sacrificium internum, quo anima se offert Deo, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis. Hoc autem nec ipse Deus per absolutam suam potentiam efficere potest, ut alicui creaturæ conveniat. Tertio ex ipsa consecratione, quæ panis & vinum in corpus & sanguinem Christi transubstantiatur, manentibus accidentibus sine subjecto. Est autem hæc actio omnino supernaturalis, quæ nullo modo pendere potest ab aliqua potentia creata tanquam à causa principali, quia solus Deus efficit transubstantiationem. Quarto ex valore ipsius Sacrificii, qui est infinitus, sicut merita & passio Christi, ac proinde æquè placet Deo, ac mors ejus in Cruce, licet effectus finitus sit. Quinto ex fine propter quem, cæteris omnibus abolitis, institutum fuit, ut nimirum per ipsum Deo creatori nostro cultum patriæ tribuamus, nostramque servitatem & subjectionem humillimè restitueremur: ut dignas ei gratias perpetuò agamus pro univèrsis beneficiis ejus: ad auxilia divinæ gratiæ, ejusque protectionis, excitationis & directionis impetranda: ad obtinendam peccatorum veniam: ad iram Dei placandam, & imminentiæ flagella avertenda, ad succurrendum omnium vivorum & defunctorum necessitatibus, quæ sunt penè infinitæ. Porro ex his clarissimè constat, nullam posse majorem in hac vita, aut præstabiliorem actionem à mortalibus exerceri, quam offerre Deo hoc sacrificium. Ideò nullus seu Rex seu Pontifex esset, qui Sacerdotem celebrantem quacumque ex causa accersere, ceptumque sacrificium interrumpere auderet. Quia verò Sacerdos hoc sacrificium peragit in persona Christi, ita se gerere debet, nè quid in ipso sit quod Christi personam dedecet: sicut legatus Regis personam sustinens summopere cavet, ne quid indecorum, & suo munere indignum committat.

s. I I I.

De eiusdem necessitate.

DEbet Sacerdos sollicitè considerare, quam sit necessarium hoc Sacrificium, quo summopere indigent & qui sunt in hoc mundo & qui in purgatorio; hi ut citius liberentur, & ad perennem felicitatem perveniant: illi ut continuis Dei præsidii adjuventur. Ad ipsum

enim spectat, tanquam ad legatum totius orbis, omnium petitiones ad Deum ferre, omnium necessitates spirituales & corporales eidem exponere, & singulis obtinere quod singulis profit ad salutem. Sunt autem necessitates spirituales primùm peccata, quibus plenissima sunt omnia regna mundi in quovis ferè hominum statu & conditione. Deinde sunt tentationes internæ & externæ à corrupta natura, à sensibus & membris, ab extrinsecis objectis rerum & personarum, à volubilitate liberi arbitrii, à dæmonibus oriri solitæ, eæque innumeræ & superatu difficiles. Sunt denique occasiones extrinsecæ malorum ad peccata allicientes domi & foris, & hinc perpetua pericula æternæ damnationis. Necessitates corporales sunt etiam innumerabiles, quibus omnes vel premuntur, vel sunt obnoxii: morbi videlicet, bella, persecutiones, lites injustæ, inimicitia, odia, calumniæ, contumeliæ, paupertas, mendicitas, amissiones bonorum, exilia, carceres, insidiæ, doli, fraudes, pugnae civiles & domesticæ, jurgia, detractiones, & multiplices injuriæ dominorum, servorum, vicinorum, æqualium, quæ passim inferri solent manifestè vel occultè. Sunt igitur in magna necessitate Catholici malè viventes, qui peccati mortalis nexibus irretiti computrescunt in facibus suis, omnes quoque infideles, Hæretici, Schismatici, Judæi, Pagani, & Turcæ, qui veri Dei cognitione carentes in tenebris vivunt: neque hi omnes à statu adeò infelicis naturæ viribus emergere possunt, nisi respiciens desuper Pater misericordiarum potenti virtute eos excitet & præveniat. Iusti item tepidi, & imperfecti & alii etiam ferventes, quibus continuum imminet periculum cadendi in peccatum mortale & gratiam divinam amittendi, cum sit tanta depravatæ naturæ fragilitas, tanta carnis rebellio, tanta dæmonis rabies, tanta vis pravorum habituum, tanta mundi corruptela. Sunt & alii sine numero supra scriptis calamitatibus prelli: Quidam enim ope divinâ indigent ad aliquam tentationem superandam, alii ad aliquam virtutem acquirendam, sive ad aliquem actum supernaturalem eliciendum. Quidam in mari sunt, alii in via non satis tuta. Hic vexatur inimicitiis, ille calumniam patitur: nonnulli paupertate, alii morbis, scrupulis, litibus, aere alieno, aliisque calamitatibus affliguntur. Multi sunt in periculo mortis constituti, à qua pender æternitas, quos modo prorsus inexplicabili torquent & cruciant

cruciant peccata commissa, bona omissa, temporalia quae relinquunt, aeterna ad quae properant. Gravissimam denique necessitatem patiuntur animae defunctorum in carcere Purgatorii detentae, quarum tota spes in suffragiis nostris sita est, cum ipsae pro se nec satisfacere, nec quidquam possint impetrare. Horum omnium infinita multitudo supplices manus extendit ad Sacerdotem miserabili ejulatu clamans & deprecans, ut partem aliquam divini auxilii singulis impetret, porrectis in Missa supplicibus eorum libellis, quos serio & ferventer, magnoque affectu aeterno Patri commendare debet. Turpe enim esset, in conspectu tantae majestatis distractione vel haesitatione insultam reddere legationem, & tanti ponderis negotia frigide ac perfunctorie pertractare.

§. IV.

Quae reverentia celebrandum sit.

DUplex est reverentia, interna & externa. Interna in timore & tremore, in humilitate & compunctione cordis consistit. Ad externam pertinent totius hominis compositio & gravitas, omniumque caeremoniarum ac praescriptorum rituum observantia. Quanta verò cura adhibenda sit, ut hoc augustissimum Sacrificium omni veneratione ac reverentia celebretur, facile intelliget Sacerdos, si ex una parte consideraverit, nullum opus sanctius ac divinius à Christi cultoribus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium: ex altera verò perpendat, maledictum vocari in sacris Litteris, qui facit opus Dei negligenter. Quod si Regem alloquutus magno metu stat coram illo, nec audet oculos ab eo divertere: quanto majori trepidatione, humilitate, ac sollicitudine, in conspectu divinae majestatis astare oportet, tota mente in ipsum Deum intentà, qui non solum externum aspectum, sed intima etiam animi penetralia ioruetur? Quid turpius & poena dignius, quam quod peccator Sacro Altari irreverenter assistat, ubi Sancti metuumt, pavent Angeli, tremunt Potestates, & supremi Spiritus faciem suam velant praevirecundia & confusione? accedit nox ad lucem, infirmus ad Omnipotentem, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, & non formidat, non contremiscit? Proderit etiam ad excitandum reverentiae affectum consideratio gaudii, quod S. Trinitas & omnes Caelites ex devota & reverenti Missae celebratione percipiunt: tum quia id Sa-

crificium testamenti loco à Christo relicum est, in pignus amoris, quo suos in finem dilexit: tum quia est mortis illius commemoratio, quae intercedente peccata nostra deleta sunt, homines redempti, Sancti salvati, & nos, qui vivimus, innumeris beneficiis cumulamur. Cavendum ergò, ne quid sacrificans admittat, quod istam minuat laetitiam Dei & Sanctorum, quae ex hujus Sacrificii suavissimo odore promanat. Ad eandem denique reverentiam comparandam debet Sacerdos solerter praemeditari, quam sapienter & exactè S. Ecclesia divinitus edocta totius Sacrificii ordinem, modum, & apparatus praescripserit & instituerit. Nam primò culpas veniam precando confitetur: tum Deum laudat & adorat, eique de acceptis beneficiis gratias agit: opem divinam sibi & aliis implorat, nec ulium officii genus praetermittit, quod possint mortales sanctè cum Deo exercere. Jungit autem cum his externam conformationem, habitumque corporis maxime decentem & religiosum, vel stat vel flectit genua, aperto semper capite, manibus modò junctis, modò protensis, & in caelum sublatis, quae omnia apertissima sunt ad reverentiam in ipso celebrante & in assistantibus conciliandum. Nec quocumque modo, sed praestantissimo Deum alloquitur: secretò enim loquitur & veluti ad aures, sicut amicus cum amico. Loquitur non suo sed totius Ecclesiae nomine, & à Deo auditur, tanquam gerens personam publicam, nullà habità sui ratione, sive bonus, sive malus sit. Loquitur in publica celebritate coram universa Caeli curia, & hominibus qui adsunt: atque idè in solemni confessione, quae Missae praemittitur, & sanctos & populum appellat; & in Praefatione Deum precatur, ut voces suas cum Angelorum vocibus admitti jubeat. Loquitur cum Christo Domino, qui in Sacramento praesens est, ejusque preces simul cum ipso aeterno Patri praesentat. Verba tandem, quae loquitur, non ipse suo ingenio composuit, sed vel à Christo tradita sunt, vel in sacris Litteris à Spiritu Sancto dictata, vel Sanctorum Patrum & Conciliorum auctoritate approbata: quare nihil proferre potest, quod non sit Deo gratissimum, & summè acceptum. Totis itaque viribus conari debet, ut tam sanctum ministerium quam maximà fieri potest reverentia & sanctitate exequatur: & depositis terrae sordibus, Angelicà puritate elucescat.

S. V.

Aliæ considerationes ad pios affectus in celebrante excitandos,

Vix fieri poterit, ut non attentè, devotè, & reverenter celebres, quisquis es Christi Sacerdos, si fide vivâ hanc veritatem perceperis, & intimo sensu apprehenderis, te ipsum Christum offerre, unigenitum Dei Filium, Salvatorem & Judicem tuum. Sed huic veritati magnum momentum ex hoc accedit, quod perfectiorem Christi humanitatem nunc in Missâ Deo offers, quàm ipse obtulerit in ultima Cæna. Nam primò Christus mortalem obtulit, tu immortalem: ille passibilem, tu impassibilem. Secundò nunc eadem offertur cum plenâ pro nobis satisfactione, omnia siquidem ipsius merita ejusdem morte completa sunt. Tertio quia humanitas Christi, etsi à principio sanctificata fuit in unione hypostatica, cum tamen in Passione oblata est Deo, novam acquisivit sanctificationem, ut Hostia scilicet tunc actualiter exhibita, & nunc offertur in Missâ hæc novâ sanctificatione exornata. Adde quod Christus mirabili modo in Sacramento existit quàm in Cælo. Totum enim ejus corpus in totis speciebus est, & totum in qualibet minima earum parte; sine quantitate coextensa ad locum; ita ut ejus præsentia ne quidem à supremis spiritibus per principia naturalia naturaliter videri possit. Sunt & alia innumera mirabilia, quæ satius est venerari quàm enarrare. Nam ut reliqua prætermittam, quis dignè poterit explicare, vel saltem animo concipere, quam magnum beneficium sit, quod, mediante hoc Sacrificio, Cælum in terris quâdam anticipatione possident homines; dum ante oculos habent, manibusque contrectant ipsum Cæli & terræ conditorem? Hoc sedulo contemplare & erubescere, quod adeò tepidè, & irreverenter hæc tremenda mysteria audeas celebrare.

Extende cogitationem tuam per universum mundum, quàm malè ubiquè Deo serviant homines, quot peccata committant: quàm pauci sint Religiosi, qui perfectioni sedulo incumbant: quàm multi qui in rebus vanis & otiosis jugiter occupati vix unquam de Deo cogitant & loquuntur. Ideò tactus dolore cordis intrinsecus, ardorem & affectum vehementissimum in te excita erga Dominum Deum, quem pler-

que mortalium vel non agnoscunt, vel spernunt: tum Sacrificium ea devotione offerre satagas, ut Dominus, si fieri possit, ejus suavitate, quam habet etiam ex opere operantis, quoddammodo recreatus, eorum omnium obliviscatur, quæ contra sanctissimam ipsius voluntatem ab hominibus perpetrantur. Ex altera verò parte in Cælum animo ascende, & considera, quanto fervore Cælites universi Deum ament, & quàm suavi harmoniâ ipsius laudes uno ore decantent. Junge te illis, & similes elice amoris ac laudum affectus: sed cave, ne vocis tuæ ac morum cacophoniam Beatorum dulcissimè concinentium concentum perturbes.

Cùm hoc Sacrificium Christi passionem & mortem repræsentet, veluti quædam imago & actio tragica est, non verbalis, quales sunt Poëtarum Tragediæ, sed realis & substantialis, exprimens incurrentè Passionem illam & mortem cruentam, ex qua omnia bona tua & aliorum, omnesquæ thesauri divinæ gratiæ profluxerunt. Solerter itaque adverte, quàm fervidâ devotione tanti boni repræsentatio à te fieri debeat. Sunt spectatores hujus Tragediæ S. S. Trinitas, Humanitas Christi in Cælo, Angeli, & Animæ beatæ: cave ne quid ineptum vel indecens in te appareat, quod Dei ac Cælestium Civium purissimos oculos possit offendere. Id verò assequeris, si perpetuam in te ipso corporis afflictionem, & passionum mortificationem expresseris, vivamquæ memoriam in te conservaveris acerbissimorum Christi cruciatuum, quos hoc Sacrificio commemoras & repræsentas; & eosdem aliis proposueris morum ac vitæ severitate.

CAPUT IV.

De his quæ Missæ celebrationem proximè antecedunt.

S. I.

De necessitate Præparationis.

Ante orationem, ait Sapiens, præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Quod si Deum tentare atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audent in oratione interpellare, non præmissâ diligenti & accuratâ præparatione, quàm magis eundem suâ temeritate & audaciâ irritabit, qui Unigenitum